

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Sic quando Moses & Prophetæ in Ecclesia sonant, de motu fere omnis cessat. Nonnulli plane non veniunt, ut ingrati hospites in Evangelio, Luc. 14, 18. spernentes consilium Dei ad versus semetipfos. Luc. 7, 30.

Nonnulli accedunt quidem, sed somno indulgent, ne audiant Moysen, sicut Eutychem. Act. 20, v. 9.

Alii inter conciones fabulantur, persuadentes sibi, se dudum ad unguem tenere, quod inculcatur, de quibus tamen illud Pauli dici potest, Heb. 5, v. 12.

Alii non discendi, sed calumniandi gratia accedunt, Psal. 41, v. 7. Moses & Prophetæ severiores sunt, quam ut delicatuli audiant, loqui sibi volunt placentia, Esa. 30, v. 10. non quomodo poenitentiam agere, sed vinum bibere debeant. Mich. 2, v. 11.

Hi sunt quinque illi fratres helluonis divitis, qui Moysen & Prophetas susque deque habent, propterea nec evasuri sunt æternum exitum, in revelatione Domini de cælo. 2. Thess. 1, v. 8.

Olim Joatham stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit: Audite me optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud. 9, v. 7. Sic & Ecclesiæ ministri vocem suam quasi tubam exaltant, Esa. 58, v. 1. Qui itaque illos audiet, eos Dominus vicissim auditurus est, Esa. 1, v. 10. Qui proinde Deum in cælo benevolum habere cupit, templum sedulo frequentet, oportet, ubi loquitur ad nos per ministros suos, Luc. 10, 16. ibi habet officinam suam, in qua velut aurifaber sedet, & purgat filios Levi, Mal. 3, 3. Ibi ignem & caminum habet, Esa. 31, v. 9. Ibi ipse præsens, distribuit gratiæ dona, justitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S.

Rom. 14, v. 17. Ibi invenitur cælestis sapientia, desiderabilis, super aurum, & aurum obrizum, Psal. 19, 11. melior margaritis, Prov. 8, 11. Quæ omnia illi amittunt, qui tantum verbum audiunt, non vero faciunt. Deus enim non irridetur. Gal. 6, v. 7.

De Secundo,

TRansibimus nunc ad alteram partem, *ἡ εὐνοσίχθων* sive notitiam Domini nostri Jesu Christi, contemplaturi. Proponeitur ille nobis in Evangelio hoc nostro:

1. *Tanquam æternitatis revelator.* Hanc nobis revelavit in exemplis divitis Epulonis, & pauperis Lazari.

In hoc mundo sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egissent impiorum: & sunt impii, quibus talia eveniunt, quasi iustorum facta habeant, Eccles. 8, v. 14.

Lazarus erat vir probus, qui Deum timebat. Sed qualis ejus fortuna? Erat

1. *Egenus*, ad egestatis terminos redactus, jacebat enim ad januam divitis, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Idem multos adhuc fratres habet, qui cantilenam hanc canere coguntur, usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudifumus, 1. Cor. 4, v. 11.

2. *Abjectus*, pauper enim ubique jacet, à paupere & hi, quos habuit, separantur, Prov. 19, v. 4. Pauperi dicitur: sede sub scabello pedum meorum, Jac. 2, v. 2. Id evenit Lazaro, & hodie omnibus iis, qui in miseria vivunt. Sir. 13, v. 29.

3. *Ulcerosus*, sive, ut Prophetæ verba mea faciam, à planta pedis usque ad verticem, non erat in eo integrum quiddam, Esa. 1, 6. Veri Christiani etiam ulcera sua habent, qua-

quales sunt hæretici, & filii Belial, qui animas justas iniquis operibus cruciant, 2. Pet. 2, 8. ut multum iis sit, sic habitare cum his, qui oderunt pacem, Psal. 110. v. ult.

Sed *permutatio* facta est *feliciſſima*. Ante carebat proprio domicilio, & jacebat ad januam divitis, instar canis. Sed post mortem in domum Patris cœlestis susceptus, omnium laborum refrigerium impetravit. Joh. 14. v. 2.

Antea nemo erat, qui ejus rationem haberet: at post obitum Angeli animam suscipiunt, imo ipse Abraham verba pro eo facit. Qui enim Deum amicum habet, potest quidem persecutione in mundo premi, sed non derelinquitur, 2. Cor. 4. v. 9. Deus enim amat animam ejus, ut non pereat. Esa. 38. v. 17.

Antea vix tot pannis instructuserat, quibus pudenda contingere valeret. Sed post mortem indutus est veste incorruptibilitatis, 1. Cor. 15. v. 53. & coopertus byssino splendenti & candido, quæ sunt justificationes Sanctorum, Apoc. 19. v. 8.

Antea fames, obsonium ejus erat, nec poterat potiri micis, quæ de mensa divitis cadebant: Verum post mortem, eum Jesus ad mensam cœlestem perduxit, ubi inebriatus est pinguedine domus ejus. Psal. 36, 9. Esa. 69. v. 31.

Antea doloribus macerabatur, propter ulcera, quibus scatebat: at post obitum dies miseriarum ejus completi sunt, Esa. 60, 20. In loco, ubi non auditur ultra vox fletus, & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed abundantia gaudiorum, Psal. 16. v. ult.

Ex adverso dives helluo, qui in hoc mundo quotidie splendide & in voluptate vixit, pessimum exitum habuit, & corpore &

anima Diabolo mancipatus est, ubi absque fine torquetur, & morte depascitur, Psal. 49. v. 15.

Custodiamus proinde animam nostram in patientia, æquo animo sustinentes, quæ Deus nobis immittit, quia non condignæ sunt omnes passionēs, Rom. 8. v. 18.

Hinc Ecclesia:

Quamvis hic ægritudo,

Mi perferenda sit:

Ut indies delinquo,

Æternitas venit.

Est plena gaudiis,

Hanc terminandam nunquam,

Dum Christum Jesum cernam,

Expecto cum piis.

Nb ich alhie schon dulde /

Biel Widerwertigkeit:

Wie ich auch wohl verschulde /

Bleibt doch die Seligkeit.

Ist aller Freuden voll /

Dieselb ohn einige Ende /

Dierweil ich Christum kenne /

Mir wiederfahren soll.

II. *Tanquam piorum nomenclator*. Dives Epulo, citra dubium coram mundo in magna autoritate fuit, multi eum laudarunt, & suspexerunt, sed Dominus indignum reputat, quem nomine appellet. Memoria enim impii perit de terra, Job. 18. v. 17. Lazarum vero amicum suum, Christus nomine tenus exprimit. Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cogitavit Dominus, qui sunt ejus. 2. Tim. 2. vers. 19.

De summo Pontifice Aarone memoratur, quod nomina filiorum Israel portaverit in

pectorali, coram Domino in recordationem, Exod. 28. v. 9. 12.

Christus verus Pontifex N. T. est, qui nomina fidelium suorum non modò in pectorali, sed in corde portat, ut nunquam eorum oblivisci possit. Esa. 49. v. 14. seqq.

Tempore Eliæ Prophetæ verè fidelium exiguus erat numerus, ut etiam ipse Prophetæ, se solum superstitem esse, censeret. Sed Deus omnes in libro suo consignaverat, exactè sciens, quot eorum essent, ideò dicit ad Eliam: Reliqui mihi in Israël septem millia omnium, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, 1. Reg. 19. v. 18.

Sic adhuc hodie gratia & misericordia est in sanctis ejus, & inspectio in electis ejus, Sap. 3. v. 9. omnes scripti sunt in libro monumenti coram eo, Mal. 3. v. 16. ponit eos, quasi annulum signatorium, Hag. 2. v. ult.

Quid dixit Deus ad Moysen? Te ipsum novi ex nomine, Exod. 33. v. 17. Et Jeremiæ ait: Priusquam te formarem in utero, novi te, Jer. 1. v. 5. Hoc quilibet sibi applicare, nec dubitare debet, licet ab omnibus sit spreus & derelictus, quin Deus se noscat, & nomen suum in cælis scriptum sit, Luc. 10. v. 20.

Ah dilecti! nos sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9. tales nos Christus sanguine suo consecravit, ideò ulterius manu sua nos sustentabit, nec portæ inferorum prævaleant adversus nos, Matth. 16. v. 18. Ipse siquidem ait: Oves meæ vocem meam audiunt Joh. 10. v. 27. 29.

III. *Tanquam animarum procurator.* Hic audimus, quod Angelos ableget, ut animam Lazari, quamprimum corpore soluta est, deportent in sinum Abrahamæ.

Duplex solatium, in his verbis continetur, quod omnibus piis altâ mente rependum est.

Lazarus beatam permutationem subiit, quod constat,

1. *Ex angelorum servitio.* Non enim saltem ceu apparitores animæ adstant, sed portant quoque eandem, ut Christus hic meminit. Hoc ingens beneficium est, quo adhuc hodie veri Christiani fruuntur.

Patriarcha Jacobus, patriam repetiturus, videbat duo castra Angelorum, qui ipsi præsidio erant, ne læderetur à fratre Esau, Gen. 32. v. 1. 2.

Quid aliud pii Christiani faciunt, quando placidè in Domino moriuntur, quàm quod iter suscipiant in patriam cœlestem, quod & feliciter absolvere possunt, quia Angelos custodes habent, qui castra metuntur circa illos. Psalm. 34. v. 8. Hebr. 1. v. ult.

De impiorum anima dicit Abigail, quod rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ, 1. Sam. 25. v. 29.

At pii Christiani hoc solatio gaudeant, quòd post mortem animæ suæ ab angelis exceptæ, placidè *portandæ* sint, sicut mater infantem in ulnis gerit, ne incommodo afficiatur. Marc. 10. v. 13.

Mardochai magno honori fuit, quando Ahasverus eum equitare fecit in equo suo, & coram eo clamare: Sic fiet viro, quem Rex volet honorare, Esther 6. v. 11.

Sed multò honorificentius est, quod Angeli piorum animas corporibus exutas, portant in domum æternitatis, ubi communionem habent cum patre & filio. 1. Joh. 1. vers. 3.

2. *Ex dulci hospitio.* Lata enim ab Angelis est, in sinum Abrahamæ.

Sinus Abrahamæ, nihil aliud est, quam vita æterna, Joh. 3. v. 16. regnum Dei, Matth. 6. v. 73. Cœlestis Hierusalem, Apoc. 21. v. 2. Paradisus, in quem Iatro ante descensum Christi ad inferos adsumtus est, Luc. 23. 43.

Vocatur autem *sinus*, & quidem *sinus Abrahamæ*:

1. *Ratione securitatis.* Quando matercula infantem in sinu habet, facile à periculo immunis est.

Multo securiori quiete fruuntur beatorum animæ, in sinu Abrahamæ.

Matri illi, in sinu filiolus in sinu exspiravit, 2. Reg. 4. v. 20.

Simson in Delilæ sinu recubuit, sed hoc ipso Philistinis proditus est, Jud. 4. v. 20.

Huic periculo in sinu Abrahamæ requiescentes subiecti non sunt, ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21. 4. nec ullus hostis eo irrumperere poterit, sedebimus enim ibi in habitatione pacis. Esa. 32. v. 18.

Portus marinus, in quem naves exantlata tempestate appellunt, etiam sinus appellatur: Sic pii, quando beate in Domino obunt, perveniunt in portum securitatis &

quietis, & ovantes dicere possunt: Bonum certamen certavi, 2. Tim. 4. v. 7. 8.

2. *Ratione jucunditatis.* Quando puerulus currendo defessus est, vel infirmius se habet à matre in sinu reponitur, & post absterfas lacrymas voluptate afficitur.

Sic & animæ iustorum in sinu Abrahamæ requiem & refectionem invenient. Dominus enim consolabitur eos, velut mater, Esa. 66. v. 13. & absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, Apoc. 7. 17.

3. *Ratione felicitatis.* Patriarchæ Abrahamo promissio Messix facta fuit, huic fidem adhibuit, & imputatum ei est ad justitiam, Gen. 15, 6.

Quicumque itaque Christum vera fide apprehendit, sicut Abraham, venit in sinum eius, h. e. in eandem gloriam & gaudium, in quo Abraham vivit, ideo dicitur in numero multitudinis, ἐν τοῖς κίλιπτοις, quia sinus hic non modo pro Abrahamo: sed & omnibus iis paratus est, qui aliquando recumbent cum Abraham in regno cœlorum, Mat. 8, 11.

Transferat nos Deus in sinum hunc, per filium suum Jesum, & redemptorem nostrum, Amen.

* *

Dominica II. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 14. v. 16. -- 24.

EXORDIUM.

Postquam supremum Numen Israelitas ex Ægypto in desertum Arabicum duxerat, iisque panis deesset, pluebat Dominus panes de cœlo, qui vocabantur Manna, & panis Angelorum. Illi autem hujus cibi peritæsi dicebant Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis & in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones,

porrique & cepe, & allia, & anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Propterea quoque prostrati sunt in deserto, ut nemo, nisi Josua & Caleb, Palestinam ingressus fuerit, Exod. 16. Nū. 11, 4.

Hæc Historia satis congrue ad hodiernum Evangelium applicari potest.

1. *Ratione suavisimæ cibationis,* quæ Deus

G g 3 po-